



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

XXX. De uniformitate Habitus, & cæterorum cum universo Ordine pro  
Canonicis Præmonstraten. Congregar. Hispaniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)



Reliqua 8. Coenobia dictae Provinciae conceduntur solis Italae, qui subesse debent Ministro, seu Commissario Gen. Italae.

Clausula.

sint, ac Missionibus, ad spiritualem instructionem Militum Hispanorum in Civitate & Regno Neapolitano praedictis degentium, ac praedictorum Arcium, seu Portuum Tusciae a dicto Regno Neapolitano dependentium operam dare, illisque verbum Dei praedicare, & Sacramentales eorum Confessiones audire teneantur, habitent, & collocentur; Alii vero octo Conventus praedictis Religiosis Neapolitanis, & Italae tantum remaneant, ac primodicta Provincia octo Conventibus hujusmodi constans in futurum Ministro Generali, seu Commissario Generali Italiae Ordinis praedicti pro tempore pariter existenti subiaceat, modo, & forma, a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita praescribendis gubernetur.

§. 2. Ac decernentes ipsas praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causa propter quas praesentes emanarint, adducta, aut verificata, & justificata fuerint, aut quavis alia, etiam quantumlibet juridica, pia, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis laesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuumque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, aut imperato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 3. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiae praedictae Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon praedictorum Ordinis Provincialium, Conventuum, & Hospitii, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, & alias quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorum-

que totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eidem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Sept. MDCCLII. Pontificatus Nostri anno Secundo.

Confirmatur Constitutio Inn. XII. de uniformitate tam in habitu quam in caeteris cum universo Ordine pro Canonicis Praemonstraten. Congreg. Hispaniae.

Laudata Constitutio ed. fuit 1698., Dec. 6., P. 8. Et hujus Pontificatus Const. ed. 1703., Feb. 8., P. 3. idem denuo statuitur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**A**lias fel. rec. Innocentius PP. XII. Praecessor noster supplicationibus tunc existentium Canonicorum Regularium Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstraten., qui habitu Regulari ab eo, qui per Regulam dicti Ordinis praescribitur, & ab aliis Canonicis Regularibus ejusdem Ordinis gestatur, diverso utebantur, ac primævum habitum Regularem in limine foundationis Ordinis hujusmodi praescriptum reassumere, eoque in futurum uti, nec non officia Sanctorum ejusdem Ordinis recitare posse cupiebant, sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de caetero dicti Canonici Regulares Congregationis Hispaniae cum universo Ordine Praemonstraten. praedicto tam habitu quam in caeteris uniformes essent, & esse deberent, auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas literas tenoris sequentis, videlicet.

INNOCENTIUS PP. XII. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis (reliqua omittuntur).

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Decembris 1698. Pontificatus nostri anno VIII.

§. 1. Cum autem sicut accepimus oppositum fuerit in praesentibus Innocentii Praecessoris literis nonnullis Constitutionibus dictae Congregationis Hispaniae, ac quibusdam re. me. Urbani PP. VIII. Praecessoris pariter nostri die 19. Augusti 1641., aliisque diversis literis Apostolicis in eadem forma Brevis emanatis uniformitati (sicut praemittitur) statuta, & ordinata adversantibus minime derogatum, ipsasque literas praesentibus a persona legitime ad id facultatem, seu auctoritatem non habente, impetratas fuisse, haecque, & aliae forsan difficultates illarum executionem hactenus impediverint; nunc vero res ita compositae reperiantur, ut si Constitutionibus, & literis Apostolicis praedictis a nobis derogetur memoratae dictorum Canonicorum Regularium Congregationis Hispaniae cum universo Ordine Praemonstraten. uniformitas eidem Congregationi plurimum profuturam obtineri, & stabiliri valeat. Hinc est, quod Nos firmiori praesentiarum Innocentii Praecessoris literarum robori, & efficaciae quantum cum Domino possumus consulere volentes, & praedictarum

XXX.

Dat. 6. Nov. 1702. An. 2.

Summa Constitutionis Innoc. XII.

Constitutio praed.

a Cause praesentis Constitutionis.

Consti-



Confirmatio  
Constitutionis  
motu proprio  
facta.

Sanatio de  
fectuum.

Novum  
mandatum de  
uniformitate  
inter prædi-  
ctos Canoni-  
cos.

Clausula.

Constitutionum, & Urbani Prædecessoris, aliarumque literarum Apostolicarum prædictarum tenores, & Datas etiam veriores, aliaque quælibet etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & specificatis habentes, de Venerabilium fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ac motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præsertim Innocentii Prædecessoris literas, ac omnia, & singula in eis contenta, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac easdem literas valere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere decernimus, & declaramus in omnibus, & per omnia perinde ac si illæ a persona legitimam, & sufficientem ad hoc facultatem, & auctoritatem habente, impetratæ fuissent, ac Constitutionibus, & Urbani Prædecessoris, aliisque literis Apostolicis prædictis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque specificæ, & expresse, totoque literarum hujusmodi tenore inserto in præsertim Innocentii Prædecessoris literis derogatum extitisset; ac proinde a dictis Canonicis Regularibus Congregationis Hispaniæ prædictam uniformitatem cum universo Ordine Præmonstratensi prædicto tam in habitu, quam in Breviario, cæterisque suscipi, & servari debere, harum serie statuimus pariter, & ordinamus.

§. 2. Decernentes similiter easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo interesse quovis modo habentes, seu habere prætendentes cujuscumque status, gradus, Ordinis, præminentia, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, nec causæ propter quas eadem præsentis emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuumque mentionem requirentem defectu, notari, invalidari, infringi, retractari, seu in controversiam revocari, aut ad viam, seu ad terminos Juris reduci, sive adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliisque quolibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Urbani Prædecessoris, & aliis literis præfatis, cæterisque præmissis, ac

quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis Hispaniæ, & Ordinis prædictorum aliive quibuscumque, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die VI. Novemb. MDCCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Declaratur, Congregationem Eremitarum Discalceat. Ord. S. Augustini comprehendi sub prohibitione, ne duo consanguinei, vel affines in 1. vel 2. gradu in Capitulis suffragentur.

XXXI.

Hæc prohibitio confirmata fuit a Clem. VIII. Const. ed. 1596. Febr. 28. P. 4. Et deinde extensa ad Discalceatos Congr. Hispaniæ, & Indiarum ab Innoc. XI. Const. ed. 1680. Sep. 14. At Inn. XIII. Const. ed. 1723. Sep. 20. P. 3. moderatur præsentem Constitutionem.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 24 Nov.  
1702. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Clemens a Sancto Bernardino Prior Conventus Jesu, & Mariæ de Urbe Congregationis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum quod dudum nempe die 16. Februarii 1596. quoddam Decretum a quon. Andrea Fivizano, dum vixit Priore Generali dicti Ordinis inter alia emanavit, & subinde die 28. ejusdem Mensis a fel. record. Clemente PP. VIII. Prædecessore nostro per quosdam ejus in simili forma Brevis literas quarum initium, *Universalis Ecclesie &c.* confirmatum fuit, quo prohibetur expresse, ne duo Fratres Ordinis prædicti in primo, vel secundo gradu Consanguinei, vel affines in ejusdem Capitulis, aut Congregationibus Capitularibus ullatenus simul conveniant, & votare possint, & alias prout in Decreto, & Clementis Prædecessoris

Data prohibitio statuta fuit a Priore Gen. Ord. an. 1596. Feb. 16. & confirmata a Clem. VIII. die 28.

literis